



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 117. Legatus Papæ in Bohemiam venit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Proceres, exhortans eos, ut Hussitarum errores ejurarent. Stylo sane gravi, atque ad persuadendum efficaci illis ab oculis ponit crudelitates & mala, quæ Hussitæ per universam Bohemiam patraffent; hinc eos impense rogat, ut violentiis hisce sese omnibus viribus opponerent.

Sæcul. XV.  
A. C. 1418.

§. CXVII.

*Legatus Papæ in Bohemiam. Deputatio Hussitarum ad Wenceslaum.*

Ut vero Papa monitis suis proprios, quantum in se erat, conatus adjungeret, ex Ordine F. F. Prædicatorum Cardinalem Joannem Dominici Legatum in Bohemiam, atque Hungariam decrevit, qui furiosos ad saniora reduceret. Cum vero hi impunitatis fiducia elati, cuncta insolentius contemnerent, frustraneus erat Zelosissimi Legati fervor: Unde turbis nullatenus sedatis ad sua reverti coactus est. Qua de re ad Papam atque Imperatorem literas dedit, significans, in vanum adversus eos lingua & calamo pugnari, sed ad frangendam illorum pertinaciam arma in eos esse convertenda. Idem quoque Sigismundo consilium jam anno superiori Gersonius dederat; ast tum temporis illud exequi, plurima obstacula prohibebant. Interea Hussitæ die sexta Aprilis in arce Vissegradensi con-

Raynald. hoc  
an. n. 9.

Bb 3

veniunt,

Sæcul. XV. A.C. 1418. veniunt, Nicolaum Huffinetz ad Wenceslaum Regem ablegantes, qui plures ad hac Ecclesias ipsis concedi rogaret, eo quod sectariorum numerus indies cresceret. Obstupuit Rex de tanta hæreticorum impudentia, atque Legatum evoluto tertio die redire iussit, quæ decreturus esset, percepturum.

## §. CXVIII.

*Hussitæ, ductore Zischa, armati coram Wenceslao.*

Exeunte triduo Wenceslaus per Virum, quem a consiliis habebat, Hussitis indicari præcepit, se equidem illis propensum esse, velle tamen, ut obedientiam suam luculento testarentur argumento, atque ideo die præstituto arma sua ad Palatium deferrent, ac coram se deponerent. Quo mandato perterriti, eorum plurimi nequaquam iussis obtemperandum rati, abire, sibi que fuga consulere decernebant. Verum Zischa suam eis ignaviam exprobravit, exponens, illos in charybdin, dum scillam effugerent, præcipitatum iri, eo quod abs dubio, si velut fugitivi domos suas repeterent, singuli atque ab invicem sejuncti sensim perituri essent; de cetero sibi longe melius perspectam esse Regis indolem; hunc enim adeo gavisurum aspectu Virorum bene armato-

mato-